

CXCIV.

Anno 1577. Mense Februario. Posonii.

Camera Hungarica Diaetas Regni Slavoniae nonnissi Bano jubente celebratas fuisse testatur.

Serenissime Princeps,

Domine Clementissime!

Fidelium servitiorum nostrorum in gratiam Serenitatis vestrae humillimam commendationem. Cognovimus humillime ex benignis Sacrae Caesareae Regiae-que Maiestatis, domini nostri Clementissimi et Serenissimi Archiducis Caroli, domini nostri itidem Clementissimi, litteris, de benigno Serenitatis vestrae mandato, vigesimo quinto die proxime elapsi mensis Januarii transmissis, nobisque ultima eiusdem mensis reddit, quae sit suae Serenitatis de celebranda Diaeta Sclavonica benigna voluntas, quidve super eo Maiestas sua Caesarea clementer fieri velit. Quod autem Serenitas vestra nostram ea in re tenuem sententiam benigne intelligere cupit, negotio ipso in accuratam deliberationem sumpto, duo nobis occurrunt impedimenta, quae diaetae illius celebrationem nunc impedire videntur. Vnum absentia Bani, sine cuius praesentia Diaeta generalis commode institui nequit; cuius vices licet priores suppleturos Serenitas vestra benigne existimet, tamen cum semper moris fuisse intelligamus, quod Diaeta generalis nonnissi Bano iubente sit in Sclavonia habita, an status et ordines Regni illius sint vicegerentum ea in re requisitioni obtemperaturi, dubium est. Consultis itaque fore pro demissa nostra sententia videretur, ut Banus ipse benignis suae Maiestatis litteris ad capescendum Banatus Officium requireretur: quo praesente omnia rectius processura, et quidquid Maiestas sua statibus Sclavoniae proponere vellet, maiorem effectum habiturum existimarem. Alterum impedimentum priori gravius esse videtur. Quod cum (prout recordamur) hucusque ita observatum sit, ut prius in Hungaria Diaeta sit celebrata, ad quam Status Regnorum Croatiae et Sclavoniae suos semper solemnes expedire soliti sunt oratores. Qua quidem Diaeta in Hungaria peracta, Banus tandem, et non prius, statibus Croatiae et Sclavoniae indicebat publicam Diaetam, ad quam Maiestas quoque sua suos Commissarios expedire solebat, quibus praesentibus ea, quae ad communem salutem atque defensionem patriae spectabant, per Banum proponebantur et sic communi omnium voto atque consensu articuli conclusionum aedebantur, proque benigno suae Majestatis consensu atque confirmatione trans mittebantur, ac ita demum omnia rata et firma habebantur. Quod si itaque nunc aliquid fieret contrarij, verendum est, ne status ipsi novitate rei moti libertates suas labefactari conquerantur et parum vel nihil apud eos efficiatur. Ut autem confinium illarum partium conservationi consula-